

Werk

Titel: Nvbes Testivm Veritatis De Regno Christi Glorioso, In Septima Tuba Futuro Testant

Untertitel: In Septima Tuba Futuro Testantium. Libri Tres

Autor: Petersen, Johannes Wilhelmus

Verlag: Zunner

Ort: Francofurti ad Moenum

Jahr: 1696

Kollektion: DigiWunschbuch; Varia

Digitalisiert: Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen

Werk Id: PPN647415313

PURL: <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN647415313>

OPAC: <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=647415313>

LOG Id: LOG_0007

LOG Titel: Illustrissimi, perillustres, Generosissimi, & Excellentissimi Viri Mœcenates, Domini gratiosissimi

LOG Typ: preface

Übergeordnetes Werk

Werk Id: PPN647415097

PURL: <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PPN647415097>

OPAC: <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=647415097>

Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen
Georg-August-Universität Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen
Germany
Email: gdz@sub.uni-goettingen.de



*Illustriſſimi, perilluſtres, Genero-
ſiſſimi, & Excellentiſſimi Viri Mæcenates,
Domini gratioſiſſimi.*



UM gentium ille doctor magnusque Christi Apostoli Divus Paulus , exempla illorum , qui sub Veteri Foedere in Fide vixerunt atq; obdormiverunt , longo ordine recensuſſet , gloriāque Fidei viētricis pulcherrime descripſiſſet in capite undecimo Epistolæ ad Hebræos , tandem in subsequenti capite alios fideles , viventes æque ac victuros , ex illis adductis testimoniis in semitis Fidei confirmaturus , in hunc modum eos alloquitur : *Cum igitur, & nos tantam habeamus περι-κείμενον ήμῶν νέφος μαρτύρων circumiacentem nobis Nubem Testium , deposito omni onere & peccato facile-noxio , perseveranter curramus in proposito nobis certamine , intuentes in Fidei illum Ducem & consummatorem IESUM , qui profibi proposito gaudio pertulit crucem , ignominia contempta , atque ad dexteram Throni DEI confedit .* Hoc magni Magistri nostri exemplo , cuius memor semper fui , me corroborans atque confortans , ego etiam omnem , quæ mihi propter professum Salvatoris mei Regnum in septima Tuba erigendum contigit , ignominiam facile ex gratia desuper data contempsi , nihil curans , quid ante me alii , qui in Scholis & Ecclesiis autoritatem habuerunt , senserint , sed quid ille , qui ante omnes est , JESUS CHRISTUS & Spiritus ejus dixerit , atque in verbo

suo testatus fuerit. Hujus unius testimonio, quod mihi instar omnium erat, me veluti muro aliquo muniebam, satis præsidii me habere ratus, si vel nullum ex antiquissimis Patribus primitivæ Ecclesiæ testem producere possem, qui eadem tecum de Regno Christi glorioso in terris, non secundum Bestiarum illarum Danieliticarum formam, sed cælesti, & eō, qui tantum Gloriæ Regem decet, modo & *θεοχίᾳ* gubernando, sensisset aut docuisset. Ita solus à solo Deo ejusque Spiritu ex verbo Veritatis præsentem Veritatem didici: quam semel gustatam ita in me obsignavit ipsius Digitus, ut, si mille mihi mortes adeundæ essent, millies mori, quam Regnum, quod hactenus clara voce ac tuba defendi ac propalavi, negare decreverim. Observabatur interea animo meo, cum amplitudinem illam Veritatis hujus cælestis tam in Veteri quam in Novo Testamento undique diffusam cognoscerem, Annon alii insuper Testes in primitiva Ecclesia inveniendi essent, qui eadem tecum in hoc quidem negotio confiterentur? Subdubitare etiam incepi, an sanctissimi illi Patres recte hactenus fuerint intellecti, quos multa retro secula in Catalogum si non crassiorum, subtiliorum tamen Chiliastrarum, quorum errorem damnaverunt, unanimiter ferme à tempore invalescentis Papatus retulere. Retraxit me per aliquod tempus Doctorum & Ecclesiarum nostratium autoritas ab inquirendo: siquidem tum opinabar, nunquam ipsos in tanta veritatis luce constitutos, ausuros fuisse tantis Patribus, quorum autoritatem ipsi in publicis Scriptis atque in suggestu deprædicant, tantos errores imputare, nisi tales in asserta ab istis millenaria felicitate revera invenissent. At cum ipse in præsenti negotio proprio exemplo didicissem, quam injuste mihi ea, quæ ne in mentem quidem meam venerunt unquam, ab adversariis imposita fuerint, non vane subducta ratione collegi, aliis quoque ante me, & ipsis sanctissimis Patribus potuisse similiter contingere. Unde magno studio & labore coepi Scripta Patrum, quæ erant ad manus, evolvere, & quæ deerant, magno mihi ære comparare: ut ita sententiam illorum non ex citatis aliorum, sæpe sæpiusque fallentium, sed ex viva inspectione & evolutione ipse in timore Dei cognoscerem. Ibi longe alia ex toto Contextu & serie venerandorum Patrum

950 () 950

trum inveni , quam ipsis ab infrunitis aut ignaris imputata erant : tantumque absfuit , ut eos contra Scripturas aliquid docuisse senserim , ut potius verissimum sensum , qui in Prophetis & Apocalypsi , hujusque præsertim vigesimo capite , de Regno Christi cum Sanctis millenario continetur , mira inter se harmonia expressisse illos deprehenderim . Quis verò magis lætari eo potuisset , quam ego ipse , qui tot Testibus conspirantibus inventis , tot uniones & diademata me invenisse mihi gratulabar , & castos illos Veritatis hujus Confessores , quos antea ex præscriptis Præceptorum meorum suspectos habueram , cognita ipsorum innocentia non semel Spiritu osculabar ! Inde factum , ut illi mihi , egoque illis testimonium veritatis perhibuerim , atque illorum sanctissimorum Martyrum autoritatem omnium novitiorum in sequioribus ætatibus constitutorum Doctorum autoritatibus opposuerim . Hac occasione enata & conglomerata est *Nubes hæc Testium Veritatis , de Regno Christi in septima Tuba futuro testantium* : quam Nubem nunc super diversos diversorum Regnum ac Provinciarum horizontes circumfero , ut vento Dei resoluta tot Testes veluti innumeræ pluviarum guttas orbi afferat , & hortum Ecclesiæ frugiferis aquis irroret . Quo Sylloabo testimoniorum lecto , non solum illi , qui magnorum Virorum autoritatibus ex imbecillitate quadam commoveri solent , ad nudam illam Veritatem amplectendam paulatim adducentur , sed etiam multi ex amicis DEI ea mecum in corde suo dicent , quæ olim Ecclesia in terris florentissima , referente Esaiæ capite quadragesimo nono , visis innumeris illis circumquaque liberis , Matri Sioni per mirabilem Dei manum adducendis , dictura est : *Quis mihi hos genuit ? Eram in frugifera , sola , ejœcta , depulsa ; quis mihi hosce educavit ? Ecce ! Sola eram & derelicta ; ubinam hi erant ?* Atque utinam omnes illi Episcopi , & Martyres nobis in scriptis suis cogniti essent , qui tempore Nepotis , & Hieronymi Chiliaeum Sanctum , atque in illo Regnum Christi defenderunt , quorum numerum ingentem & amplissimum fuisse in commentario super Esaiam fatetur , esset profecto , quo nobis grarularemur ; verum , cum invidia temporis & parte adversaria illi nobis subrepti sint , illo , quem exhibemus , Testium catalogo simus contenti .

Re-

Resurgent profecto, & reviviscent Sancti illi Martyres in gloria,
quorum nomen propter sanctissimam hanc de millenario CHRI-
STI Regno nobis communicatam doctrinam ab adversariis tan-
tum non fuit imminutum, qui asseverare non verentur, pulcherri-
mam illam veterum Episcoporum faciem asserta hac melioris tem-
poris futuri sententia, veluti macula quadam ingenti deturpatam
fuisse & subfuscata. At hoc ipso tempore, magnorum mysterio-
rum Revelatore, mox palam fiet, idem illud dogma, quod turpem
errorem & nævum isti vocaverunt, veluti pulcherrimum aliquod
ornamentum, quo facies Patrum quam maxime decoretur, merito
esse habendum, atque omnes illos, quos propter assertum Chiliasmum
Apocalypticum suspectos, & eo ipso Enthusiasmi & Fanati-
cismi reos fecerunt ii, qui *Orthodoxorum* titulum sibi vendicant, il-
los, inquam, nunc propter ipsum professum Chiliasmum esse ma-
gni faciendo, utpote qui Mysterium Regni & decora Sponsi ac
Sponsæ, in splendoribus sanctitatis in die Nuptiarum fulgentia, non
sine arcano revelantis Spiritus Sancti favore cognoverint, atque ea
omnia coram meretricio Mundo intrepide confessi fuerint. Salve-
te ergo Regni IESu Christi, Regis in Sion, atque rerum omnium Hæ-
erdis Assertores, qui partem in Regno Christi habituri estis! Salvete
Prophetæ, Evangelistæ, & Apostoli Apostolicique Viri, *Papia*,
Ignati, *Polycarpe*, *Clemens Romane*, *Dionysi Areopagita*, *Irenæ*, *Iustine*
Martyr, *Tertulliane*, *Victorine*, *Lactanti*, & omnis pulcher ordo Con-
fessorum, qui pallio hæretico inique haec tenus onerati estis, & sine
vestra culpa nigrata facie incessistis! Agite, deponite sordidum no-
men, & vestes squalore & muco aliorum detritas: è contrario au-
tem gloriæ coronam & cidarim, atque habitum sacerdotalem &
Regium induiti judicate eos, qui vos judicaverunt, ac qui vos crimi-
nati sunt, eos induite ignominia perpetua, ut hypocriseos veste &
Hærefoes nomine in conspectu Dei infames, ni resipuerint, æterno
pudore suffundantur. Erit, erit illa dies, qua mira catastrophe sub-
orietur, ut, qui magno nomine nihil tale merentes inclarerunt ha-
ec tenus nihil prorsus æstimentur: illi vero, quos censura muneribus
suis movit, & qui velut seductores per voculas hominum traducti
sunt, veraces Servi Dei deprehendentur & celelabuntur. Cum
enim

enim in præsentí Scripto , quod jam inde ab aliquot annis Lipsiensi
Carpzovio, atque omnibus aliis autoritatem Patrum & veram illo-
 rum sententiam in hac causa mirè incrustantibus, oppositorum me-
 esse promisi, sed propter varia negotia & Apologetica , quæ edenda
 fuerunt Scripta, in ordinem colligere non potui, clarissime demon-
 stratum sit, omnes Prophetas , nec minus ipsum CHRISTUM &
 Apostolos ejus, de hoc Regno glorioso testatus fuisse ; qui jam fie-
 ri poterit, ut æqui rerum arbitri in Patribus illud culpent, quod in A-
 postolis & Prophetis omnino laudandum, ipsorumque de eo testi-
 moniis firmiter credendum est? Aut quis in neoterieis etiam
 Testibus porro illud rejiceret & damnaret, quod tanti Patres & Mar-
 tyres, ab ipso Evangelista Johanne edoeti, nobis illibatum atque in-
 corruptum reliquerunt? Si te non puduerit religiosissimorum Ec-
 clesiæ veteris Episcoporum, qui Chiliasmum sanctum ex Scriptis
 Prophetarum & Apostolorum didicerunt: cur illos horreas, qui
 eundem profitentur, & qui illud cognovertunt Scripturæ Arcanum,
 ex quo omnis Prophetia veteris ac novi Testamenti dependet? Tunc
 illos *Enthusias tas, Fanaticos*, & quod nunc apud multos probrosum
 nomen est, *Millenarios* vocaveris, qui minime digni sint, ut in Eccle-
 sia doceant, aut ad publica munia admittantur? Sed tempus est, ut
 per tot secula collecta Testium veritatis Nubes descendat, & quæ
 antea singulæ in singulis Seculis & annis audiebantur voces, nunc
 conjunctione facta fortius sonent, & copiosius dilatentur, nec citius
 taceant, usque dum Jerusalem illa exornata & dilatata & amplifica-
 ta fuerit, uti divinus Propheta Esaias in capite sexagesimo secundo
 versu primo & septimo, haud frustra olim est vaticinatus. Agite er-
 go Confessores Regni, tuba canite, annunciate Bona in terra Viven-
 tium distribuenda , nec silete de judiciis magnæ matri fornicatio-
 num Babylonie, & omnibus, qui Spiritu illius gaudent, ubi ubi fue-
 rint, impendentibus & in hæsuris. Jam cecinere lucis aves ; senti-
 unt auroram maturantem, ex cuius pulchritudine de die pulcher-
 rimâ orturâ præsgajunt : Felices omnes, qui ad convivium & cœ-
 nam AGNI vocati sunt ! at feliores, qui vocant, & ideo missi sunt
 à Deo, ut at cœnam hanc multos convocent ! Veniet, qui venturus
 est, & non tardabit: Ante fores est paracceve magnæ illius Diei,

quam Abraham Spiritu prævidens tantopere gavisus est, & in qua
 iueannū in Spiritu raptatus Iohannes Apocalypsin sanctam con-
 scriptis. Impii interea impie agent, & non intelligent; alter ad a-
 grum emendum; alter ad boves; alter ad foeda conjugia propera-
 bit, coenam AGNI fastidiens: At Sapientes & Pii attendent ad præ-
 conium æterni Evangelii, & Sancti atque justificati amplius justifi-
 ficabuntur, secuturi aliquando AGNUM, quo cunque ierit, & visuri
 in die illa, quale discrimen sit inter illum, qui Deum coluerit, & in-
 ter illum, qui non coluerit, Regnumque Dei alto cachinno irriserit.
 Ego verò tantam in omnibus Scriptis Prophetarum & Apostolorum
 diffusam Veritatem, sine qua tota Sacra S. quoad Prophetiam ob-
 scura est, cum S. Evangelista & Apostolo Johanne omnibusq; Servis
 DEI, magni semper faciam, nec quantum in me est committam, ut,
 quæ mihi desuper ex verbo D. E. I. sanctissimo de ipsius Regno reve-
 lata sunt, ulla ratione aut tempore à me celerentur, aut ab aliis sup-
 primantur. Hanc autem Confessionem magni Regni, Regni JE-
 SU CHRISTI, quod aliquando teste Scriptura apud Danielem
 capite secundo & septimo omnia Regna, qualia in Prophetia descri-
 pta sunt, conteret & comminuet, nunquam ab aliis comminuen-
 dum aut conterendum, Vobis, Viri Illusterrimi & Generosissimi, qui
 ad gubernacula Imperantis nostri Clementissimi ELECTORIS
 BRANDENBURGICI sedetis, inscribere ac dedicare volui, ut ip-
 si tanta tamque ardua causa cognita, quid nobis qui credimus, om-
 nibusque Regentibus Justis, gloriam suam in Regnum CHRISTI
 inferentibus, sperandum sit, pro vestra, qua eminetis, prudentia in-
 telligatis, & judicetis, An illa res ceu. nova & rejectanea haberi de-
 beat, quæ à Patribus antediluvianis credita, à Prophetis asserta, ab
 Apostolis propagata, & à sanctissimis Patribus sub novo Foedere,
 totisque inter ipsos Ecclesiis orthodoxis, tam diffusa nube Testium,
 hanc in rem à me adductorum, defensa fuit & commendata. Si fe-
 licissima illa tempora, in quibus ligato Satana, & delecto Anti-Chri-
 sto, sublataque Meretrice cum falso Propheta, CHRISTUS cum
 Sanctis suis regnaturus est, non essent in Sacris promissa, esset tamen
 cur ea omnia, regnante injustitia in perditis hisce & clamatis tem-
 poribus nobis optaremus. Nunc verò cum tot illustrissimis & toties
 repe-

repetitis verbis, tam in Prophetis quam Apostolis, & præsertim in Apocalypsi
 Prophetias omnes atque earum Arcana reserante & manifestante, illa Refrigérii
 tempora promissa sint, quid est, cur illa negemus, atque eos, qui eadem fidelibus
 lati annunciant, odios habendos, atque functionibus tam ecclesiasticis quam ci-
 vilibus indignos esse existimemus? Crescit hæc ingens cum tempore Veritas,
 quæ quo magis ad senectutem temporum pervenerit, majores eundo vites ac-
 quireret, & ad perfectum Virum, qui in mensura perfectæ ætatis CHRISTI tan-
 dem roboratur, magnis & celerrimis passibus progredietur. Unde cum in reli-
 quis artibus & disciplinis, seu mechanicas, seu mathematicas consi-
 deres, tanti quotidie progressus fiant, ut ad summum quasi fasti-
 gum artes hodiernæ ascendisse videantur: num credibile est, solam
 Theologiam ipsiusque Mysteria in profunda Arcanorum abyssō sem-
 per manere sepulta, & nunquam majoriluce & claritate esse manifestanda? Aut
 num putandum est, Scripturam Sacram, magnum illum rerum profundissima-
 rum oceanum, ita esse exhaustam, ut nihil amplius sit reliquum, quod investige-
 mus? Deumq; ipsum se ita evacuasse, ut nihil de mirabilibus ipsius revealandum
 restet? Absint hæc pravæ cogitationes à Viris magnis: Nam sicuti ex parte, faten-
 te Apostolo, prophetamus; ita ex parte etiam cognoscimus ea, quæ veluti in æ-
 nigmate tamdiu proposita sunt, donec dies illucescat, atque omn' a obsignata &
 abscondita à seculo in septima Tuba & appropinquantibus ultimis temporibus,
 ex vaticinio Danielis, patescant & revelentur. Dies interea diem docet, & gradi-
 bus ad summa itur, minimusque Pygmæus consensis giganteis humeris latius
 prospicit, quam ipse gigas. Quapropter plus Abrahamo vidit Moses, Mose Da-
 vid, Davide Daniel, Daniele Baptista, eoque Apostoli: quibus vita & officio de-
 functis lux Veritatis, licet interdum varias noctes ex interveniente parallage &
 vicissitudine passa sit, semper tamen rediviva super terram exorta est, usq; dum,
 non prima statim momento sed statim progressibus ad meridem assurgat, atque
 ad culmen perveniat. Cum igitur ultima tempora Seculi hujus ruituri, ipsis ad-
 versariis nostris fatentibus, approparent ac rotentur; quis dubitet impletum
 iri, quod ultimis temporibus promisit Spiritus Sanctus revealandum: Dum enim
 ad certas temporum periodos aliquid obsignatum & clausum est, non illud in
 omnem aeternitatem obsignatum manebit, sed periodis istis impletis tandem re-
 veletur necesse est. Ita vero Prophetia loquitur: Claude Daniel Sermones, &
 signa librum usq; ad tempus statutum; sic plurimi investigando percurrent, & co-
 gnitio multiplicabitur: Dan. 12, 4. nempe cognitio illa Dei, quæ marinis undis
 diffusior erit, Es. 11, 9. Tunc Mysterium Dei implebitur, sicut annunciat servis &
 Prophetis, testante Angelo in Apoc. c. 10, 7. restitueturque omne illud, quod Deus
 locutus est ab initio Mundi per os omnium sanctorum Prophetarum suorum. Act. 3, 21.
 Quibus impletis dicetur; Querite jam in libro Domini, & legite, Ne unum
 quidem ex his deerit, neque alterum trum desiderabitur, quia os ejus præcepit, & Spi-

ritus ejus congregavit ea, Isa. 34, 16. Accipite ergo, ô Viri magni, non tant mea,
quam magnorum Prophetatum & Apostolorum, Apostolicorumque Vi-
orum Testimonia: ex quibus cognosci quam apertissime poterit, nullum un-
quam tempus defuisse, in quo Deus per Spiritum suum revelantem de magna
hac Regni Christi Veritate non testatus fuerit. Licet enim plenitudo cognitionum
cum omnibus circumstantiis, ultimis demum temporibus, quando
matura erunt omnia, exuberatura sit: tamen idem in hoc negotio accidit,
quod Christus, qui medio in statu Exinanitionis igniculos divinitatis suae spar-
sim emittebat, donec habitu illo servili deposito ad Exaltationis statum pro-
gressus, sese ad dexteram Dei ad complenda omnia in Gloria & Majestate col-
locaret. Ita etiam Testes hi veritatis, à me per omnia Secula adducti, eam de
Millenario Sancto Apocalypticō, in quo Veritas & Bonum viēta malitia glo-
riose velut agmine facto perrumperet, verissimam doctrinam veluti
radiis hinc inde sparsis proposuerunt, quæ tandem in unum colle-
cta ballatum eo penetrantius & fortius diffundet, quo propinquius
illa tempora adveniunt, in quibus ipsa penitus erit revelanda, cognoscenda,
atque adimplenda. Videbitis ex Reformatis Doctoribus in Catalogo seu
Syllabo testimoniorum à me conquisito quam plurimos, (utpote Piscatorem,
Alstedium, Crugotium, Serarium, Josephum Medium, aliosque & nuperrimum
Anglum Thomam Beverley,) unam illam eandemque Veritatem cum omni-
bus fermè circumstantiis, præsertim quod Regnum Christi millenarium futu-
rum & Resurrectionem primam ad Regnum attinet, pleno ore & magna ple-
rophoria necum assertam publice fuisse confessos, adeo ut ipsi inter primos
fuerint nostro Seculo, qui orientem hunc Regni futuri Solem Spiritus oculis
videtur. Quod superest Deum ter optimum maximum, cuius hoc Regnum est,
& qui filio suo hasce Regales nuptias cum Sponsa sua, velut uxore Agni, in con-
spectu Angelorum & totius universitatis celebrandas f. & curus est, etiam atq;
etiam ardentissimis precibus rogo, ut Serenissimum nostrum Electorem, quem
Divina bonitas exulum & servorum Dei præsidium esse voluit, qui que mihi
cum primis Clementia suā abundantissime demonstravit, congrua tantis mu-
neribus præmia in ipso Regno videre dignetur. Idem vero Deus noster Vos quo-
que, Viri Mecenates, omni pietate & reverentia perpetim a me colendi, in
conspicu suo sancto sicut & in culpatos, coronaque Vos immortescibili exor-
net, atque in exultatissimis hisce temporibus, in quibus vix justus animam
suam servat, Vos, vestramque Generosissimam familiam una cum seris negotibus po-
tentissime servet: Fiat: Vivo moriorque.

*Illustr. & Generosissimorum Nominum
Vestrorum perpetuum cultor.*

JOHANN WILHELM PETERSEN,
S. S. Theol. D.